



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Institvtionvm// Ad Vniversvm// Ivs Pontificivm, Sive//  
Canonicvm, Libri Qvatvor**

**Lancellotti, Giovanni Paolo**

**Basileae, 1566**

j. De Iure Canonico.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61756](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61756)

M. ANTONII CVCCHI IVRIS  
CONSULTI, INSTITVTIONVM CANONICI  
IVRIS LIBER I.

DE IVRE CANONICO,  
TITVLVS I.

**I**VS Canonicum, id est, constitutio Ecclesiastica, nihil aliud continet, quam quod in diuinis scripturis & legibus invenitur: diuinae verò leges natura consistunt: quo fit, ut quaecunque diuinæ voluntati, seu Canonicae scripturae contraria probantur, eadem etiam naturali iuri inveniuntur aduersa: & quaecunque diuinæ voluntati, seu Canonicae scripturae, seu diuinis legibus postponenda censentur, eisdem naturale ius præferri oporteat. Hoc autem vocabulo iuris Canonici, appellatur, quod normam recte & bene viuendi præbet, vel quod distortum prauumque corrigit: nam Canon Græca vox, Latine regula interpretatur. Constat autem ius Canonicum, vel ex constitutionibus in generali Christianorum concilio statutis, quas proprio nomine Canones vocant, vel his quæ à summo Pontifice nunc solo, nunc Patrum Cardinalium consilio adhibito,

vel vtrò, vel etiam aliquo interpellante, factæ sunt. Et omnes indistinctè adstringit. Quod verò in concilijs singularium prouinciarum, aut synodis per Episcopum vocatis ius statuitur, eius prouinciæ, ciuitatisve & diocesis homines duntaxat devincit. Sunt tamen & quædam leges priuatæ, quæ vel odio, vel favore alicuius speciali, contra communes iuris normas factæ sunt, quæ Priuilegia appellantur, nec ad exemplum sunt trahenda. Sed & consuetudinis, id est, iuris illius, quod moribus instituitur, non vilis est autoritas: nam pro lege suscipitur, cum nec sacris Canonibus, nec humanis legibus obuiat. At cum legum Pontificiarum constitutio deest, nec vlla consuetudo extat, secularium leges adiri possunt. Hoc cuiusvis constitutionis proprium est, ut futuris negotijs scripta intelligatur, non præteritis, nisi id expresserit.

DE RESCRIPTIS,  
TITVLVS II.

Solent etiam Rom. Pontifices Epistolas nonnunquam ad lites, vel beneficia subdi-

a distict. 3. in sum.

b c. fi. dist. 9.

c c. p. de consuet.

d c. regula. in fi. dist. 3.

e c. consuetudin. 11. dist. c. fi. de const.

f c. p. ubi no. de no. ope. c. p. seq. dist. 10.

g c. 2. de consuet.